



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 2. De vana observantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

146 TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS.  
connexa certum elicetur iudicium facti, aut alicuius  
futuri, ut sit V. G. per pelvum, plumbum liqua-  
tum aquæ infusum.

Consultoria sunt, quibus consilium Divinum ex-  
poscitur ad sciendum, quid in re obscura agendum.  
Tales Dei temptationem continent, & non nisi  
propter instinctum Divinum, aut necessitatem  
in re summa ardua, deficiente humano consilio,  
cum summa reverentia, & in Deum fiducia per-  
mitti queunt.

Divisoria sunt, quibus decernitur, quibus ra-  
tribuenda sit: tales licetæ per se sunt, V.G. jactus  
aleæ, dum ex duobus reis tantum alteruter est  
occidendus, dum de re indivisibili æqualis  
utrimque habetur probabilitas.

### §. 2. De vana observantia.

VAna observantia strictius sumpta est, Super-  
stitione, secundum quam actiones nostras dirigi-  
mus, effectum aliquem per media inutilia, quæ vim  
non habent illum producendi, expectando. V. G.  
si invulnerabilitatem exspectem, gestando quæ-  
dam verba scripta, & eadem legendo: si quis mali  
ominis loco accipiat, quod felem, aut canem  
primò habeat obvium, & ideo pedem referat.

Quæres, an Joseph in carcere prædicens pin-  
cernæ libertatem, pistori patibulum, &c. an Ge-  
deon Judicum 7. utens somnio, tamquam signo,  
quod Madianitas profligaret, usi fuerint vanâ  
observantiâ?

¶. Neg. Quia similia divinitus inspirata sunt,

ac

ac proinde non peccavit servus Abrahæ Gen. 24.  
observans ex dando sibi potu, & camelis, Re-  
beccam maritandam esse Isaaco.

*Observantia vana* varia habet nomina: voca-  
tur *ars Notoria*, si aliqua scientia subito, & absque  
labore exspectetur per media nullo modo con-  
nexa, per inspectiones figurarum, per enuntia-  
tionem certorum verborum &c.

Si exspectetur conservatio sanitatis, invulne-  
rabilitas, curatio vulnerum, aut morborum, di-  
citur *observantia sanitatum*.

Si aliquid prospeli, vel adversi ex eventu for-  
tuito exspectetur, & inde actiones nostras mo-  
deremur, dicitur *observantia futurorum even-  
tiuum*, ut si quis caveat assidere mensæ, in qua  
sunt duodecim, ne sit decimus tertius, putans  
ex illo numero unum moritum &c.

### §. 3. De Magia, & beneficio.

**M**Agia generatim nil aliud est, quam *ratio*  
*operandi mira, & insolita*. Alia est naturalis,  
*quæ absque dæmonis adminiculo operatur mira*, est-  
que per se licita, licet sit periculosa: alia *super-  
stitiosa*, quæ *dæmonis ope mira quedam per certa  
signa operatur*.

Si mira operetur tantum ad ostentationem,  
vel proprium commodum, aut alienum, vel ad  
delectationem &c. dicitur simpliciter *magia*,  
V.G. si spectatores suos faciat saltantes magus,  
si ex longinquis regionibus, persoluto ibi pre-  
tio, subito accersat vinum &c. Si fiat ad alteri  
nocendum, dicitur *maleficium, seu beneficium*.